



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**SVDORIS PEDVM**  
IN PRIMIS HABITVALIS  
NOXIA. SVPPRESSIONE.

---

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDIC. SENIORE ET REGIQVVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOSORVM PRAESIDE,  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
LEGITIME OBTINENDIS

AD D. XII. IANVARIII 1802.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
**SIGISMVNDVS CASPAR PITSCH**  
SAGANO - SILESIVS.

---

HALAE EX OFFICINA TRAMPIANA.



DISSERTATIO INAEQUALIS MEDICA

DE  
SVDORIS PEDVM  
INPRINIS HABITVALIS  
NOXIA EXPRESSIO

AVCTORIS NOMINE APLICIS  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
CENSURAE FACULTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

AVCTORIS EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D. ANDREA ELIA BUCHNERO

AVCTORIS NOMINE APLICIS  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
CENSURAE FACULTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

PRO GRADU DOCTORIS  
STIPENDIO IN MEDICINA HONORIS AC BENEFICII

AVCTORIS NOMINE APLICIS  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
CENSURAE FACULTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

AVCTOR  
SIGISMUNDVS CASPAR PITSCHE

HABET EX OFFICINA TRAMERIANA





VIRO  
SVMME REVERENDO  
AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
M. GEORGIO CASPARO  
PITSCHIO

ECCLESIARVM ET SCHOLARVM A. C. A. IN DVCATV  
SAGANENSI

INSPECTORI REGIO

ET

ECCLESIAE QVAE SAGANI EST A. C. A. PASTORI

FIDELISSIMO AC MERITISSIMO,

PATRVELI

SVMMOPERE COLENDO



NEC NON  
V I R O  
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
DOCTISSIMO

D. IOANNI SAMUELI  
PITSCHIO

SERENISSIMI PRINCIPIS DE LOBKOWITZ  
ET DVCIS SAGANENSIS MEDICO AVLICO,  
COLLEGII MEDICI GLOGOVIENSIS ADIUNCTO  
NEC NON

DVCATVS ET CIVITATIS SAGANENSIS PHYSICO,

PARENTI OPTIMO

OMNIQUE HONORIS AC PIETATIS CVLTV  
AETERNVM VENERANDO,

BINIS

PATRIBVSSVIS AC FAVORIBVS FIDELISSIMIS,  
HOC QVALECVNQUE STVDIORVM SVORVM SPECIMEN INAVGVRALE  
IN FILIALIS REVERENTIAE MONVMENTVM AC DOCUMENTVM  
PIA MANV

DEVOTISSIMOQVE ANIMO  
SACRVM ESSE CVPIVIT

FILIVS OREDIENTISSIMVS  
SIGISMVNDVS CASPAR PITSCH.



SVDORIS PEDVM  
INPRIMIS HABITVALIS  
NOXIA SVPPRESSIONE.

PROOEMIUM.



**D**iuersimode sane laedi posse machinam nostram humanam, id non solum ipsa eius singularis fabrica nos edocet, sed et quotidiana fati superque confirmat experientia. Inter causas autem fere innumeras, a quibus hoc fieri potest, maxime omnium elucescunt istae, quae turbationem et suppressionem ordinarii successus excretionum naturalium, nec non quarundam, licet praeternaturalium, sed diuturna continuatione in consuetudinem deductarum, pro fundamento agnoscunt. Ad hunc eundem censum pertinet quoque *sudor pedum habitualis iam redditus*. Hic, licet ob varias circumstantias, quae interdum eundem concomitantur, subiectis suis valdopere molestus esse soleat; attamen quatenus legitime succedit, multum utique ad salutem eorum prosperam et conseruationem sanitatis vltiorem conferre solet;



folet; e contrario autem, quando supprimitur, principalem causam et fundamentum primum variorum morborum, admodum persaepe rebellium, suppeditare valet. Quin imo nonnullos horum affectuum interdum adeo difficiles curatu deprehendimus, ut vix tandem, et non nisi pristino illo consueto pedum sudore restituito, iterum abigantur. Cum vero et hodie adhuc a sagacissimis Medicis interdum hic sudor, tanquam causa morborum chronicorum, fugitio tantum oculo consideretur, vel plane etiam, sub indagatione caussarum, praetermittatur, indeque haud raro morbi tales scandala Medicorum euadant: idcirco exactiorem eiusdem considerationem vtilem non modo, sed et dignam fore iudicavi, quam pro themate Dissertationis meae inauguralis eligerem, imprimis cum mihi aliquot exempla innotuerint, ubi ex sudoris huius suppressione pessima illaque satis rebellia mala oborta fuerunt, quorum curationem nullam vidi, nisi tandem hoc pedum sudore iterum restituito. Veniam autem, ut spero, mihi dabis b. Lector, si tractationem thematis cuiusdam tibi iam offero, quod forsitan sub primo intuitu quadantenus sordidum tibi videbitur; recordare potius, si placet, triti illius prouerbii: nihil tam turpe in rerum natura deprehendi, quod simul nec vllam vtilis et boni notam certo respectu gerat. Vtilis sane et haec est tractatio, in respectu ad amissam quorundam hominum sanitatem restituendam. Faxit ergo summum Numen, ut haec qualiacunque conamina mea cedant in gloriam eius sempiternam.





§. I.



**P**ro facilitanda tractationis nostrae expositione ante omnia incumbere mihi arbitror, ut de *sudore* in genere quaedam praemittam. Verum enim vero cum pleraque in variis Medicorum scriptis sufficienter iam explicata deprehendantur; paucissimis tantummodo ea, quae ulteriori illustrationi huius nostrae materiae maxime inseruiunt, hic attingam. Subintelligunt autem Medici per sudorem in genere, excretionem feri halituoſi e porulis cutis, quatenus illa ibidem per guttulas conspicua sit. Distinguunt itaque eundem statim a *madore*, utpote simili excretionem, quae per attactum cutis,  
 sine



sine veris guttulis ibi conspiciendis, praecipue cognoscitur, nec non ab ipsa *transpiratione insensibili*, neque per visum, neque attactum indaganda.

## §. II.

Dum iuxta antecedentia (§. I.) cutis porulos tanquam organa huius singularis excretionis, nempe sudoris, agnoscimus, cutis vero, vtpote integumentum commune, cunctam superficiem corporis inuestit, ipsaque cum porulis suis per varias circumstantias possibiles ita modificari potest, vt vel ex omnibus, vel quibusdam tantummodo sudorem emittat: facillime exinde liquet, diuisionem sudoris in *vniversalem* et *particularem* hinc explicari posse. Quoniam vero hoc loco nobis de priori, scilicet vniuersali sudore, non est sermo, et posterior, nempe particularis, ex variis et distinctis locis erumpere solet, veluti sunt, vnum alterumue corporis latus, caput, frons, nucha, collum, axillae, inguina, genitalia, pedes, etc. \*); hinc etiam illum ipsum

\*) De sudore vnus lateris vid. Ephemer. N. C. Dec. I. Ann. IV. et V. Obs. 100. et Dec. II. Ann. X. Obs. 194. Conf. etiam Dissertat. egregia inaugural. celeberr. Dn. D. HARTMANNI, de *Sudore vnus lateris*, hic Halae 1751. ventilata, in cuius nota num. 25. pag. 36. sqq. varia adhuc aliorum Auctorum loca indicantur, in quibus sudoris capitis et volae manus seorsim facta est mentio. De sudore sub axillis perpetuo videantur Ephemerid. N. C. Dec. I. Ann. IV. et V. Obs. 25. Sic quoque illustr. b. m. HOFFMANNVS exemplum adducit, de sudore glandularum subaxillarum salutaris et critico, cum foetore, in Med. rat. syst. Tom. III. P. II. Cap. III. pag. 216; et Tom. III. huius Op. ris, Sect. I. Cap.



ipsum diuersimode ab Auctoribus cognominatum esse animaduertimus. In specie vero notandum est, Scriptores nonnullos, qui sudoris pedum, utpote huius nostrae tractationis principalis obiecti, mentionem iniiciunt, eundem alias *paedorem*, aut *foetorem pedum*, appellasse. Proinde etiam hi particulares sudores non saltem per certa quaedam interualla, scilicet hoc vel illo die, in subiectis illis, quibus solennes sunt, prodire solent, sed plerumque temporis successu in consuetudinem seu habitum degenerant, atque idcirco dein *habituales*, seu adfuefacti, communiter nuncupantur.

## §. III.

Requirat autem quilibet sudor, tanquam excretio seri guttulis conspicua (per §. I.), sicuti reliquae excretiones largiores in corpore humano occurrentes, *primo* copiosum affluxum humorum ad loca secretioni suae destinata, nimirum ad sic dictas glandulas subcutaneas, unde, per vasa arteriosa minima lymphatico-serosa, excretio ipsa ulterius succedere debet ex orificiis porulorum. Sed eundem copiosum adfluxum ad partem aliquam nunquam concipere licet, nisi simul proportionata iusto maior vis et actio partium solidarum, a loco se- et excretionis remotarum, adsit, in fluida ipsa se se exferens, istamque resistantiam superans, quae in parte secretionis adeste obseruatur. Per hanc enim fluida fecerenda e longinquo versus locum excretionis melius appelluntur. Similiter quoque exinde sequitur, sanguinem ipsum, cum

Cap. VIII. §. XXXIII. de subaxillari hoc sudore asserit, quod inde corpus ab exitiali et putrido humore liberetur, teste ingenti illum comitante paedore.



cum reliquis humoribus, mediante motu progressiuo, iusto maiori vi ad superficiem siue totius corporis, siue alicuius tantummodo partis, protrudi debere, si sudor aut vniuersalis, aut particularis, ibi prodire debet. Verum enim vero cum praeterea quoque *secundo* requiratur, vt viae ipsae magis patulae sint, per quas larga excretio contingere debet, siquidem, hac deficiente, humoribus aduectis secessio et effluxus alias denegaretur, illorumque idcirco facillima restagnatio ibi eueniret; hinc idem requiri ad sudorem obtinendum, cuiuslibet patebit. Ideoque pariter nunc concludimus, particularem pedum sudorem, sub qualicumque spastica notabili constrictione in loco excretionis, nunquam successfulurum esse.

#### §. IV.

Quod vero causam ipsam sudoris huius efficientem attinet, ille neutiquam specialissime aërem humidum, calidum, ambientem, pro sui fundamento agnoscit, licet quidem hic alias sudori vniuersali fauere possit, dum nempe, ob multas aqueas particulas, quibus eiusdem interstitia iam repleta sunt, vix alias adhuc a cute recipere valet, insimulque ob calorem suum cutis poros laxiores, adeoque huic excretioni magis idoneos, reddere solet; neque etiam pro sui causa proprie habet sanguinis iusto maiorem resolutionem in serum, vnde copiosior secessio fluidi eiusmodi tenuioris ad locum huius excretionis fieri potest; nec tandem medicamenta quaelibet, v. g. expellentia, diaphoretica, etc. ad huius sudoris genesis sufficiunt, quoniam illa in genere tantum vim internarum partium adaugendo, congestionem humorum ad peripheriam excitare cutisque vascula dilatare possunt, ita vt



vt ex iisdem, nullo obstaculo praesente, effluxus verus copiosior feri subsequatur. Nos potius *laxitatem nimiam*, seu *atoniam porulorum cutis, pedes obtegentis*, pro sufficienti causa huius sudoris pedum, inprimis habitualis, agnoscimus. Etenim illa ipsa praesente, serosus latex facilius ibi exprimi potest. Ipsa pariter experientia haud raro testatur, quod pedes illorum subiectorum, quibus talis sudor maxime familiaris est, nisi tumidiores, tamen sub tactu notabiliter molles seu relaxati deprehendantur.

## §. V.

Non minus etiam, si ad primam originem huius particularis sudoris respicimus, per crebriorem experientiam confirmatum esse, constat, decubitum materiae cuiusvis noxiae, olim per metastasin ad pedes factum, item tumorem pedum praegressum, relaxationem talem hisce partibus in sua superficie intulisse, eamque ob causam plerumque huic sudori ansam suppeditasse. Hac itaque semel excitata, seu post morbum quandam relicta dispositione ad sudorem, tali largiori excretioni ulterius quoque fauere eamque sustentare valent: 1) continuus attritus plantae pedis ad tibialia et calcamenta sub deambulatione; 2) humiditas ab effluente sero, quod, ob denegatum liberiores aëris accessum per vestimenta, et inprimis calceos ex corio confectos, facilius quoque ibi accumulari potest; 3) corporis habitus erectus inter deambulandum, vbi proprio suo pondere humores magis deorsum ruunt, et ob semel antea imminutam ibi resistentiam et reactionem solidorum, seu propter debilitatem iam iam productam, non nisi difficiliter progrediuntur et tardius ascendunt.



## §. VI.

Subiecta itaque quod attinet, eadem perquam facile determinari posse existimamus, siquidem rarius omnino talem particularem pedum sudorem in robustis et laboriosis hominibus, citra praegressum vehementiorem corporis motum, obseruamus. In specie igitur huc referri merentur subiecta moerore ac tristitia diuturna afflicta, prout hoc etiam Illustr. b. m. HOFFMANNVS. confirmat, his verbis\*): *Qui diuturnus etiam animi moeror peculiarem istum pariter exserit effectum, quod cutis, praesertim pedibus inductae, tonum soluat ac remissioem reddat, ut hinc, quod saepius obseruauimus, sudore largiter diffluent.*

## §. VII.

Omnis sudor proprie et absolute nullo modo referri potest ad excretionem naturalem, licet ceteroquin, certo respectu, ad corporis conseruationem multum emolumenti conferat. Cum enim, per antecedentia, iusto maior relaxatio porulorum cutaneorum ad eundem producendum requiratur, facile exinde patet, talem relaxationem porulorum neutiquam naturaliter, in statu perfectae sanitatis, adesse debere, siquidem solummodo transpiratio insensibilis, vel saltem mador, tanquam excretionem proprie naturalem agnoscere possunt. Idem hoc ideo etiam intellexisse videtur HIPPOCRATES, quando dicit\*\*): *Qua corporis parte inest sudor, ibi morbum esse indicat.*

## §. VIII.

\*) Med. ration. systemat. Tom. III. Sect. I. Cap. XIII. §. 32.

\*\*) Sect. IV. Aphor. 38.



## §. VIII.

Extra omnem dubitationem positum est, quod sudor, in quantum ille vniuersam superficiem corporis occupat, neutiquam continuo per longum tempus durare possit, sine villo etiam leuiori detrimento ipsius corporis. Etenim nisi virium iacturam, attamen qualemcunque contabescentiam seu emaciationem corporis certe relinquit. Sed plane aliter se habet sudor qualiscunque particularis, inprimis qui pedibus solemnis est et habitualis. Sub hoc enim nunquam tanta copia humoris serosi vna vice et vno impetu excerni potest, quanta sub sudore vniuersali prodit; hinc etiam idem ille sudor pedum vix similem noxam machinae humanae conciliare valet; imo eundem potius, si praecipue in consuetudinem deductus fuerit, sanitati plus prodesse, variaeque mala, alias subsequutura, a corpore humano auertere posse, plures obseruationes nos edocuerunt.

## §. IX.

Quod si porro quoque ipsam indolem materiae exsudantis consideramus, itidem exinde veritatem asserti §. anteced. vterius illustrari posse quilibet deprehendet. Etenim quidquid exsudat, quibusuis fere pessimis notis instructum est. Praeter viscositatem, qua contrectantium manus inficere solet, non solum foetorem fere semper dispergit, qui, ad instar re-liquorum particularium sudorum \*), itidem specificus, aduersus, atque saepe putridus esse solet; sed etiam interdum

B 3

tan-

\*) Breuissimis quemlibet specificum odorem cuiusuis particularis sudoris descripsit illustr. b. m. HOFFMANNVS, in Med. rat. system. Tom. III. Sect. I. Cap. XIII. §. 30. p. 308.



tantam simul coniunctam habet acredinem, vt cuticulam arrodendo, pedibus excoriationem inducat. Clarius autem huius sudoris indolem exposuit *Ioann. Nicol. PECHLINVS*, in *Observationum physico-medicarum Lib. II. Obs. 52. pag. 337. et seq. Pedum sudores*, inquit, *magis adhuc communes, magis etiam inuisi sunt, vt qui aucto foetoris gradu tota coenacula et suas cuiusque nares putri isto et horridulo spiritu promiscue offendant et animae nostrae commercium ingrediantur. Sunt autem paedores isti saepe tam infames, vt in illa spiritus laborantis angustia vix intelligas, quo te conuertas; et tamen mellitula saepe et rotundula foeminarum corpora hoc vitio afficiuntur, ob hoc iuuenum sannis ludibriisque exposita, nisi amor, vt durissima quaeque, ira et hunc odorem vicerit, vitiaque, vt mos est, in delicias verterit. Sed et sunt, qui affectum hunc, cum emendari non possit, in lucro ponunt, et dum hoc sudore consistantur, a ceteris et periculosis morbis liberos sese esse non vane reputant; quare id unice curant, ne humor temere repellatur, aut effluvia profutura medicinis cobibeantur; sic enim non morbi tantum, sed et mortis periculo obiectos sese existimant. Est vero humor ille, qui pedibus exsudat, non duntaxat lentus, sed et acidus et lactis caseosi putredinem spirans, in quem deinde quoque auspicio naturae peregrina quaeque et foeda, certe corpori humoribusque infecta, immisceri et magno valetudinis compendio excerni solent. Hunc ego sudorem tam acrem fuisse deprehendi, vt pedes eroderet.*

## §. X.

Licet itaque sudor particularis pedum habitualis, per antecedentia, cum aliquali incommodo sit stipatus, tamen  
in





in specie catenus proficiuus existit, quatenus iste copiosas impuritates subtiliores, particulās nempe salinas volatiles liberatas, ideoque noxias, quae nequiquam ita explicitae ad laudabilem mixtionem humorum requiruntur, e corpore humano remouet, ideoque illud ipsum a corruptione defendit. In primis vero idem ille sudor congestiones quaslibet, ad caput, pectus, et abdominis viscera aliās contingentes, tam dolorificas, quam periculosas, praecauere et auertere valet. Cum enim nullae congestiones determinentur, nisi simul partium a congestione remotarum spasmodica fiat constrictio, vt inde vasorum diameter imminuatur, et hinc fluida, in iisdem antea contenta, aliorsum discedere cogantur; cum porro e contrario, per experientiam, congestio facta iterum auferatur, si restituitur pristina ampliatio seu distensio vasorum illorum, quae antea in partibus a congestione ipsa remotis contracta obseruabantur: hinc etiam sequitur, vt, praesente tali sudore pedum, totum fundamentum congestionis, versus superiores partes directae, abesse debeat, adeoque nulla congestio fieri queat; recurrente autem seu denuo accedente tali sudore, qui antea suppressus erat, congestiones iam iam factae et praesentes iterum imminuantur, vel plane auferantur.

## §. XI.

Quum, experientia teste, qualiscunque sudor pedum, legitime succedens, specialissime illorum spasticos et arthriticos dolores, tam praesentes imminuat, quam antea per se recursum praecauet, adeo, vt etiam ipsorum dolorum podagricorum mitigationem successuram expectare queamus, si sudor in planta pedis erumpat; propterea certissime similiter concludi posse arbitramur, subsequituram eruptionem huius



huius sudoris foetidi eo magis idem praestituram esse, quo magis habitualis eiusmodi excretio, forsitam antea suppressa, restitui potest. Quod denique plures alii morbi eodem modo praecaveri possint, per legitimum successum huius imprimis habitualis sudoris, illud singula inferius exponenda mala, quae presso pede factam eius suppressionem excipere solent, sufficienter illustrabunt. Nequaquam porro huic sententiae obstat, quod pedum sudor (per §. VII.) ipse sit morbus; etenim per se vix periculosus nuncupari potest, sed potius in respectu ad finem seu effectum suum salutarem, in iis subiectis, quibus habitualis redditus est, pro salubri, adeoque quasi pro morbo aliquo haud profigando, agnoscendus venit. Vnde simul sequitur, nequaquam Medico competere, ut illum arcere vel suppressere moliatur, dum etiam hic consuetudo quasi in alteram naturam degeneravit. Interim is, qui valdopere aduersus atque molestus deprehenditur (iuxta §. IX.), omnino curationem quandam exposcit, quae autem, tanquam legitima, ad remotionem causae suae primariae potissimum dirigi, vel saltem ita institui debet, ut sudor per sudorem, nimirum hic particularis per alterum vniuersalem, tollatur ac remoueatur. Conferatur eam ob causam Dissert. illustr. b. m. IVNCKERI, de *Sudore vitioso, ingrato plerumque nobilium hospite*, ann. 1756. in hac Fridericiana ventilata.

## §. XII.

Intelligimus autem per qualiscunque sudoris suppressionem, excretionem istam in suo regulari successu turbatam, hinc 1) vel maxime imminutam et difficilius succedentem, vel 2) plane non amplius prodeuntem. Facillima hinc etiam erit applicatio ad nostram sudoris speciem. Recedit



dit seu reducitur nempe id, quod intra poros remansit vel continetur. Hoc cum iam per modum suae secretionis contineat partes, sui iuris factas, explicitas et acres salinas, hinc etiam facile illud denuo massae humorum adductum, illam valdopere contaminare, et in eadem oberrans, vtpote sui iuris redditum, ipsi motum fermentatio-putredinosum conciliare valet, imo dum irritat et stimulat vasa, per quae transmittitur, insuper quoque auctum progressiuum motum, calorem, congestiones impetuosas, et inde dependentes stases atque infarctus inducere potest. Idcirco etiam SANCTORIVS \*) illud, in poris retentum, pro mordaci declaravit.

## §. XIII.

Quatenus itaque ex suppressione huius particularis, praecipue habitualis pedum sudoris, varii morbi oriuntur, eatenus hos quoque pro illius symptomatibus agnoscamus necesse erit, id quod ex ipsius symptomatis notione patet, dum illud est affectio morbosa quaelibet, quae non a causa quacunque alia, sed a morbo iam praesente, licet etiam leuiori, in corpore humano determinatur.

## §. XIV.

Erunt quoque hi affectus symptomatici variae indolis, et in genere omnes isti possibiles, quos post suppressionem vniuersalis sudoris obortos esse, complures Autores referunt. In specie autem differre deprehendimus affectus, ex sudoris pedum habitualis suppressione pendentes, 1) pro qualitate materiae foetidissimae et quandoque acrioris (per §. VIII.), vnde caeochymia singularis oboriri variaque pessimi moris exanthemata, itemque ulcerosi, spastici, aliique affectus exci-

C tari

\*) Tract. de Medicina statica Sect. II. Aphor. 42.





tari poterunt; 2) pro differente situ loci excretionis, eiusque speciali sensibilitate, et nexu seu consensu cum aliis partibus corporis humani, v. g. cum intestinis, vtero, etc. \*); 3) pro ipsorum subiectorum diuersitate, nimirum constitutione corporis plus vel minus tenera ac sensibili, nec non dispositione ad hunc vel illum affectum, siue propter actatis rationem, siue haereditariam dispositionem, aut crebriores antea perpeffos insultus morbosos; hinc etiam 4) pro ipsius sudoris specialissima origine, quando scilicet sudor pedum habitualis siue febrem antea praesentem, siue oedema pedum (per §. V.), quod eidem subiecto alias familiare fuit, exceperat; tunc enim, post suppressam illam particularem excretionem, iidem illi pristini affectus facillime repullulant; 5) diuersi quoque interdum erunt morbi, ex sudore hoc suppresso oriundi, pro eiusdem siue breuiori, siue longiori antea introducta consuetudine; 6) different quoque symptomata haec pro eiusdem praegressa vel plenaria, vel imperfecta, itemque repentina vel successiua suppressione, nec non 7) pro ipsa diuersa causa efficiente talis suppressionis, quae haud raro repellendo potissimum suam exserit efficaciam, prout hoc ex subsequentibus speciatim elucescet. Tandem etiam 8) morbi hi different pro diuersitate modi translationis factae, dum sic retroacta peccans materia vel fluidis corporis humani miscetur

et

\* Conf. Illustris PRAESIDIS Diss. de *Consensu pedum cum intestinis*, hic Halae habita 1749. it. Illustr. b. m. HOFFMANNI Med. rat. syst. Tom. III. Sect. I. Cap. V. §. XXX. vbi in specie affirmat, quod pedum refrigeratio cutim stringat et ad diarrhoeam disponat, quemadmodum etiam alio loco, nempe Tom. V. Part. IV. Cap. XV. §. VII. pag. 482. exinde colicae flatulentae et torminum ini ventris prouentum deducit.



et insinuat, vel cum iisdem ad haec vel illa viscera transferatur ibique deponitur.

## §. XV.

His itaque praemissis, nunc ad expositionem variorum illorum morborum, qui ex tali suppresso sudore enati fuerunt, transeundum nobis est. Veram cum illustr. b. m. HOFFMANNVS in Medicin. ration. system. Tom. III. Sect. I. Cap. VIII. §. XXXIII. pag. 193. aliquos illorum, in propria sua diffusissima Praxi annotatos, iam enumerauerit, ipsa eius verba hic prius adponere licebit: *Nouimus, inquit, inde vertiginem aut capitis grauitatem, aurium rinitum, difficilem respirationem, ventris tormina atque vagos artuum dolores subortos, nulla arte nulloque consilio expugnabiles.* Subiunxit porro in subsequens memorabile exemplum ex *Simon. PAVLI Quadripart. Botan. pag. 215.* vbi quidam, cohibito pedum foetido sudore, primum in grauem *cordis palpitacionem*, ac postea *atrocem et nodosam podagram* incidit. Praeterea notabiles casus morborum, exinde generatorum, singularem hic et illic descriptos deprehendimus. Ita v. g. *Ephe-merid. Nat. Curios. Decur. III. Ann. V. et VI. Obs. 271. pag. 622.* similem fere referunt, de subiecto quodam, post sudorem pedum foetidum curatum, catarrhoso et arthritico facto. Quod porro sudor pedum retroactus tussim conuulsiuam, seu serinam, interdum post se trahat, testatur idem antea citatus b. m. HOFFMANNVS Lib. cit. Tom. IV. Part. III. Sect. II. Cap. III. §. XIII. pag. 378. Nec desunt pariter exempla, quae confirmant, *asthmata spastico-conuulsua* excepisse eandem paedoris suppressionem. Conf. HOFFMANNI Consult. med. Tom. I. Sect. II. Caf. 90. Sic quoque ab eodem critico



consueto sudore suppresso *pectoris* oborta fuisse *inflammationes*, idem ante memoratus Auctor, in Med. rational. system. Tom. IV. Part. I. Cap. VI. Sect. II. §. VIII. pag. 430. frequenti obseruatione constare affirmat. Non minus quoque I. STORCHIVS, in *Colleg. pract. Stabliano 1728.* germanice edito, Sect. I. Memb. VII. §. V. not. b. refert, *febres symptomaticas* et *oedemata* ex pedum consueto sudore suppresso oborta fuisse. *Hydropem ascitem* ex eodem fundamento generatum fuisse, confirmat casus quidam a I. STORCHIO in *seinen ersten medicinischen Jahrgängen* pag. 116. expositus. Sic quoque pectoris hydropem exinde initia sua sumfisse, idem ille Auctor confirmat, in *Quinquepartit. pract. Tom. I. p. 247.* Haemorrhagiam cerebri ex tali suppressione produci posse, refert b. HOFFMANNVS, Med. ration. system. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. VII. §. XII. pag. 169. Praeterea alios quoque morbos, partim rariores, partim atroces, v. g. aphoniam et contracturam, hanc suppressionem excipere posse, exinde facile colligi poterit, quoniam varii prostant casus, vbi ex quocunque simplici sudore pedum, vel a refrigeratione illorum, vel ab alia quadam causa cohibito, iidem morbi geniti fuerunt. Prioris, scilicet aphoniae, post refrigerationem pedum obortae, exemplum occurrit in b. m. HOFFMANNI Lib. citat. Tom. IV. Part. IV. Cap. VII. Obs. 2. de posteriori autem casum exhibent *Ephemerid. Nat. Curios. Dec. II. Ann. V. App. pag. 10 seq. Observ. 10.*

## §. XVI.

Nobis quoque suppetunt exempla nonnullorum morborum, qui partim cum superius nominatis congruunt, partim singulares et quodammodo ab iis diuersi existunt, quosque



que idcirco in fine huius tractationis annectemus. Quo vero non solum magis magisque elucescat varietas affectuum, qui factam sudoris huius suppressionem excipiunt, verum etiam ut cuilibet pateat, quod iidem plerumque iterum evanescere soleant, consueto tali pristino sudore feliciter restituto: nonnullos saltem, celeberrimi KANOLDI industria collectos casus, paucis hic subiungam. Primo nempe memorabilem exponit casum, in *Annalibus medico-physicis Wratislaviensibus*, ann. 1720. *Mense Jul. Class. II. Art. I. §. 3.* vbi post huius sudoris particularis suppressionem motus spastici, tandem in paralyticam relaxationem transeuntes, in femore notati fuerunt, qui iterum cessarunt, quotiescunque sudor iste restituebatur, aut sponte recurrebat. Deinde etiam eodem libro anno 1722. M. Ianuario *Class. IV. Art. IX.* describitur efflorescentia foetida, in fronte viri cuiusdam enata, qui mediante aere vsto molestum eiusmodi sudorem suppresserat, hoc vero restituto et pristino more iterum succedente, feliciter demum a molestissimo illo incommodo liberatus fuit. Huic subiungitur alius plane singularis casus eiusmodi suppressionis factae, quo insimul quoque pluralitas affectuum eandem subsequens illustratur, vbi nimirum tussis, lippitudo oculorum, haemorrhagia largior narium, nec non tandem successu temporis dolores spastici vagi artuum, item colici, quandoque conatus vomendi, aluique obstructions pertinaciores abortae fuerunt; de quibus autem singulis pathematibus affirmatur, quod iterum successiue evanuerint, revertente denuo pristino illo sudore. Porro etiam ibidem refertur, quod alia vice eandem suppressionem novam, in eodem illo subiecto, exceperit torpor osteocopus, grauitas capitis, nec non aliqualis excretio pustularum in superficie corporis, maxime autem faciei et circa articulationes extre-



mitatum, quae respectu consolidationis suae multum facefferunt negotii, sicuti etiam vlcus quoddam verum cancerosum, in labio superiore similiter obortum. Iungebatur dein his symptomatibus susurrus aurium, cum sensu doloris pulsantis admodum molesto et paroxyzante in capite, nec non tussis fere continua, cum exfcreatione mucii pauci acris et falsi. Ceterum varia adhuc alia, ibidem simul adducta, occurrunt exempla, v. g. de gonagra, melancholia, febre acuta, aliisque fonticis morbis, talis sudoris suppressionem infecutus ex *I. Nic. BINNINGERI* Obseruat. et curat. medic. Cent. V. Obseru. 58. pag. 558. item *Rafini LENTILII* Miscell. med. pract. Part. I. pag. 36-37. et *Casp. Theoph. BIERLINGII* Theaur. theoret. pract. pag. 775.

## §. XVII.

Efficiunt autem seu producant suppressionem huius sudoris cuncta illa, quae vel simpliciter nimis constringere et angustare queunt vaseula cutanea, sudoris se- et excretioni dicata, vel simul illorum ostiola, scilicet sic dictos cutis poros, infarciunt, seu tenerioribus terreis aut metallicis suis partibus obliniunt, replent et obstruunt. Ex priorum censu huc maxime pertinent, frigus immodice pedibus admissum, item omnia sic dicta adstringentia et repellentia, si pedum imprimis plantis adplicentur, v. g. martialia, aes vstum, saturnina, quorsum etiam lamellae plumbi tenuissimae pertinent, item quae succo acido-austero praedita sunt, videlicet taleoli citri, folia plantaginis vel acetosae recentia conquassata, succus semperuiui, iuxta relationem in *Ephemerid. Nat. Curios.* Dec. II. Ann. V. App. pag. 10. Obs. 10. Porro pediluuia sulphurata et aluminosa, balnea ex aquis mineralibus martialibus  
aut



aut vitriolicis parata et promiscue adhibita. Ex posteriorum autem classe sunt, limatura ferri, aurichalci, cerussa, bolus rubra, alumen calcinatum, et terrae calcareae vltæ inspersæ. Conf. illustr. b. m. HOFFMANNI Med. ration. system. Tom. III. Sect. I. Cap. VIII. §. XXXIII. pag. 192.

## §. XVIII.

Ex antecedentibus nunc patet, morbos ex sudoris huius suppressione enatos, curatu admodum difficiles seu refractarios esse, adeo, vt sæpius vix cessent, nisi particulari hac demum reuertente excretionē. Prudenti igitur Medico incumbit, vt sub curatione talium morborum, tanquam symptomaticorum (per §. XIII.), inprimis causam illorum, quanto cyus fieri potest, tollat, et idcirco, præter generaliora medicamenta, cuilibet tali morbo symptomatico accommodata, omnes eo maxime intendat vires, vt pristinum talem consuetum sudorem pedibus restituat. Nititur vero conueniens ac debita huic suppressioni medendi methodus in eo, vt 1) constrictio in vasculis pedum, sudoris se- et excretioni dicatis, producta, vel infarctus et obstipatio porulorum cutaneorum tollatur ac remoueatur; 2) vt simul adfluxus humorum ab internis versus exteriora adaugeatur. Primum quod attinet, huc inprimis conducunt a) *pediluua*, præcipue tepida, siue ex sola aqua simplici fluuiali aut pluuiali tantum parata, siue quæ præter aquam saponem vulgarem, vel cineres lignorum aut clauellatos, vel furfures triticeos, etc. continent, quibus bis saltem per diem pedes imponantur; b) *balnea* vaporosa pedibus adplicanda, ex decocto herbarum et florum chamomillæ, meliloti, loti sativæ, etc. paranda, itemque vapor ex spiritu vini accenso  
iisdem



iisdem admittendus; *c) fomentationes* ex eodem decocto, pedum plantis speciatiim tepide adplicandae. Secundae indicationi satisfaciunt, *interne*, medicamenta 1) *diaphoretica* blandiora, omiſſis fortioribus et commouentibus, inter quae praecipue referri merentur sulphurata, v. g. flores sulphuris, aethiops mineralis, antimonium crudum aequae ac diaphoreticum, specialiffime autem sulphur eius auratum ad aliquot grana, itemque sulphur auripigmenti legitime praeparatum et correctum, a grano vno ad duo pro doſi. Ex regno vegetabili huc conducunt herba Scordii et Cardui benedicti, ſiue in inuſo, ſiue in Effentia, et ex compositis officinalibus Effentia alexipharmaca Stahlī, aliaeque ſic dictae Effentiae bezoardicae temperatiores; 2) ſecura *diuretica*, vtpote quae, humores abundantes ſeroſos imminuendo ac deriuando, ſimul conducunt, vti v. gr. Eff. ſuccini cum alcali parata, Effent. lignorum, Pimp. albae, ante omnia vero Tincturae alcalinae, veluti metallorum, antimonii, ſalis tartari, et, quae reliquas antecellit, Tinctura antimonialis alcalina ſaponata, nimirum per tincturam ſaponis philoſophici ſeu Starkeyani antea paratam, et ſcoriis antimonialibus aduſam, extracta, adgtt. XXX. vel XL. cum largo vehiculo quater per diem ſumenda; porro etiam Decocta ſtrobilorum pini, et reliqua e lignoſis parata. *Eſterne* autem, praeter pedum frictiones crebriores, vix praefantius, reuellendi inprimis ac ſerum detrahendi ſcopo, eſt remedium, veſicatoriis ad ſuras pedum applicandis. Interdum etiam Venaeſectio vtilis, imo neceſſaria deprehenditur, ſi inprimis in plethoricis repentina huius ſudoris fuerit ſuppreſſio, quae morbum grauem, breui temporis mora interiecta, poſt ſe trahere valet. Quodſi vero haec methodus haud ſufficere videatur ad huius ſudoris particularis reſtitutionem obtinendam, tunc eo magis allaborandum eſt, vt per  
medi-



medicamenta eadem diutius continuanda, itemque per laxantia moderata, vt sunt Pilulae tartareae, de succino Cratonis, etc. item per venaesections ac scarificationes, praecipue pedum, maxime vero per continuum fere et placidum corporis laborem, quarumlibet se- et excretionum naturalium legitimus successus sustentetur ac promoueatur. Ad eundem scopum etiam multum proderunt sic dicta infusa per epicrasin laxantia, nec non quae simile remedium, licet in forma solida, constituunt, sic dictae nempe balsamicae correctae Becheri pilulae.

## §. XIX.

Feliciter tandem restituto hoc sudore pedum, necesse est, vt noua eius suppressio praecaueatur, quoniam communiter secunda vel tertia talis turbatio raro iterum secunde curatur. Exulent itaque omnia §. XVII. designata, et frigus specialissime quouis modo arceatur. Hoc quadantenus obtinetur vel per duplex tibiale, inprimis lanuginosum pexum, vtrique pedi superinduendum, vel per foccum quendam e panno crispato vel pexo, german: *Fussocken von Mouton oder Fries*, quo simplex tibiale, pedibus iam superindutum, inferius adhuc obtegi potest, imo per calceos aptos ad pedem, eo magis si hi alternis diebus mutantur iterumque reficcantur. Prae omnibus vero, ad liberiores transpirationem in pedibus conferuandam, et aëris non solum frigidi, sed et illius humidi et aquosi, quod ab externo ambitu calceos forsitan intrat, vteriores accessum praescindendum, commendari merentur focci ex linteo teneriori cerato exactissime ita confarcinati, vt nequitiam circa futuram pedem afficere valeant. Iidem intra duplex tibiale ita pedi adplicantur, vt laeuis cerata superficies illorum extrorsum, calceamenta versus, respiciat. E contra

D

rio



rio ii, qui alias ocreas et tibialia pellibus intus obducta quaerunt, sibi male consulunt, dum pellis ab humiditate et dein accedente calore, sub resiccatione, facillime destruitur.

## §. XX.

Expofita ergo nunc conuenienti methodo, tam noxiae tali fuppreffioni huius fudoris medendi, quam eandem etiam praecauendi, fuperius promifforum probe adhuc memor, iam aliquot cafus huic tractationi fubnectam, quos inter agmen ducat fatis memorabilis quidam, ab Illuftri PRAESIDE in praxi obferuatus mihi que perquam humaniter communicatus, qui in fequentibus confilii: Mercator quidam, duorum fupra quadraginta annorum, fudore pedum adeo vexabatur, vt eius pedes quafi eodem diffluere viderentur, dum non folum fub fortiori deambulatione, fed qualicunq; etiam leui motitatione, adflantes fonum quendam, ad inftar fluciuantis in calceis liquidi, exacte percipere poterant. Quum itaque eam ob caufam Medicorum auxilium irrito femper cum fucceffu imploraffet, ille tandem fibi ipfi fapiens, huncce maxime moleftum paedorem profligare aufus eft, eundemque infortunato quodam cafu haud dubie per aluminofa fuppreffit. Hoc facto cutis in planta pedum adeo arida reddita fuit, vt pergamenum teneritate et lubricitate exacte repraefentaret, imo ab ifto tempore nec unquam vel guttula faltem vnica fudoris amplius in pedibus prodiit, licet pediluuia, frictions, aliaque conuenientiffima remedia adplicata fuerint, fed potius, praeterlapfo aliquot hebdomadam fpatio, varicofa intumefcentia vaforum totius pedis ad furas vsque fubfequebatur, quae venas marmoreas nitidiffimas et quafi pictas aemulabatur. Tandem, exacto fic femeftri circiter interuallo, ruptis varicofis tuberculis, gangraena fub truculentiffimis doloribus inualefcens, per sphacelum ipfamque hunc in fecutam mortem trififfimo foluebatur exitu.

## §. XXI.

Vir laboriofus, refliarius, quadraginta circiter annorum, qui venae fectionem, cui ter per annum adfuetus erat, nunquam neglexerat, et praeter fudorem pedum, quo iam dudum vexabatur, per plurimos fuae anteaetae vitae annos fecunda vtique valetudine vfus erat,



erat, tandem ex quadam prorsus ipsi ignota causa sudoris illius suppressionem successiuam patiebatur. Post aliquam vero temporis moram praeterlapsam affligebatur pruriginoso et exanthematico chronico morbo, quem primo in f. moribus, dein in pectore, tandem in humero, imo paulo post in toto fere corpore suo animaduertens, pro scabie sicca reputabat, vnde et illam sine Medici auxilio et consilio, ope scarificationis, purgationis, venae sectionis, etc. ipse profligare admissus fuit. Verum quum magis inualefcere hoc malum ipsi videbatur, et iam in collo, itemque sub maxilla, similia exanthemata propullulabant, tandem Medici auxilium implorauit. Hic autem adfectum illum pro vera Lepra reputans, veram autem eius originem ignorans (quippe ipse aegrotans sui alias consueti pedum sudoris plane oblitus erat), eundem methodo vsitata tractauit, nullo tamen modo a pessimo et summe refractario hocce exanthemate illum liberare potuit, licet quidem optima efficacissimaque mundificantia remedia, nimirum lignosa decocta, Tincturas alcalinas antimoniales, imo ipsa mercurialia, satis diu, scilicet ultra octo menses (fere per 35. hebdomades), ipsi exhibuerit, quorum vsum etiam aegrotus, hunc pessimum sui corporis statum maxime abhorrens, satis accurate et patienter continuauerat. Quamquam enim hic adfectus interdum ad breue tempus mitigari videbatur, et crustae magnae albicantes, magnitudine ambitum volae manus aequantes, plus vel minus crassae, et interdum squamosae, aliquando corio similes, a cute secedebant, tamen paulo post is semper recrudescere incepit. Postquam ergo plurium Medicorum implorauerat consilia, horumque nonnulli saluationem mercurialem ipsi commendauerant, quam tamen, dum eam solummodo pro remedio huius venereae reputabat, minus sibi profuturam esse iudicauit, hinc omnes plane dereliquit Medicos. Auxilium itaque et consilium dein expers, adit medicastrum, qui fortuito omnino casu, ob tumores pedum tunc temporis praesentes, in praegressum forsitan pedum sudorem inquirens, originem huius quasi leprosi status detexit, et hinc ope frictionum crebriorum plantae pedis, mediante excutia, et pediluiorum per sex ferme hebdomades quotidie bis adhibitorum, coniunctis simul remediis internis, felicissime suppressum ipsi restituit sudorem,



hocque facto successiue plenaria subsequebatur desquamatio per totum corpus, cum perfecta tandem pristinæ valetudinis recuperatione.

## §. XXII.

Aliud subiectum, sexus sequioris, 53. annorum, non solum arthritide diuturna, sed et asthma spasmodico rebelli periodico vexabatur, qui affectus tempore hyberno inprimis valdopere exacerbabatur, et tandem, post sudorem pedum simul et semel profus euanescentem, fere continui reddebantur, simulque dein, licet conuenientia in usum vocata fuerint remedia, in nodos seu tumores duros circa taleolos pedum determinabantur, feliciter tamen postea in totum profligabantur, quam primum sudor suppressus post legitimam sui tractationem recurrebat.

## §. XXIII.

Iuuenis 19. annorum, satis robustus, cui post febrem quartanam, qua laborauerat, per medicamenta adstringentia chinata incongrue iam dudum suppressam, pedum tumor, ad genua vsque se extendens, relictus erat, tandem hoc ipso successiue euanescente, sudore pedum largiori molestabatur, sub satis tamen integro sanitatis statu. Verum cum aliquando ipse hunc sibi valdopere ingratum molestumque hospitem abigere tentasset, per inunctionem humidi illius vappidi, ex orbibus fenestrarum vitreis collecti, tunc, post aliqualem huius sudoris factam suppressionem, febrilibus vagis motibus vexabatur, qui subsequenter diebus in pristinam quartanam intermittentem terminabantur febrem. Ab hac per Tincturam alcalinam saponatam, cum Essentia Pimpinellæ et Cascarillæ mixtam, diebusque intermediis præcipue exhibitam, cum puluere quodam, e Succino præparato, puluere Squillæ composito Stahlii, et vno vel altero grano sulphuris aurati antimonialis, concinnato, cuius vnicam dosim quotidie versus noctem assumsit, nec non per interposita simul temperantia, die febrili exhibita, insuper simul in usum vocatis pediluniis, felicissime liberabatur, pristinoque p. dum reuertente sudore, plenariam recuperabat sanitatem.

T A N T V M.



00 A 6283

ULB Halle 3  
002 828 154




SB

Retro ✓









Inches

Centimètres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
SVDORIS PEDVM  
IN PRIMIS HABITVALIS  
NOXIA SVPPRESSIONE.

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDIC. SENIORE ET REGIQRVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOSORVM PRAESIDE,  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
LEGITIME OBTINENDIS

AD D. XII. IANVARIJ MDCCCXII.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
SIGISMVNDVS CASPAR PITSCH  
SAGANO-SILESIVS.

HALAE EX OFFICINA TRAMPIANA.

32

